

emolumenta obventiones quascunque, ad conservandum protegendum disponendum iura corporalia et incorporalia, possessiones res quascunque ad praefatam parrochiam spectantes sive spectantia illisque utendum fruendum prout ipsi videbitur expedire et utilitas parrochiae saepedictae — in magna Tzschochere suaderi et postulare, vice et nomine dicti domini Johannis Saltzmans monasterii s. Thomae professi veri plebani in dicta parrochia canonice instituti et possessoris illius. Et si eundem contingeret carnis exsolvere debitum — et per nos alius ex fratribus nostris in locum illius praedecessoris praesentaretur et institueretur, debet nihilominus idem dominus Albertus Saltzman in eadem parrochia Magna Tzschochre ut capellanus manualis ad dies vitae suae permanere eamque modo et forma praemissis regere et illi praeesse; si tamen illi praeesse vel regere non posset, provideri debet ex tunc cum fratribus in refectorio, cum quibus uti cum suis fratribus vult habere omnimodam patientiam, ne mendicare cogatur in dispendium et dedecus status clericalis; quorum fraternitatem affectavit et affectat, quam sicut praemittitur affectatam eidem communicamus et participamus per praesentes, facientes eum participem omnium bonorum operum nostrorum et orationum, qualitercunque quomodocunque et quibuscunque locis temporibus et modis per nos nostrosque successores fiant, et post mortem suam mortilogio inscribatur et pro ipso cum aliis fratribus oretur et memoria habeatur iuxta ordinationem statutorum nostrorum pro defunctis. Cuius rei gratia debet dominus Albertus Saltzman tamquam memor beneficiorum perceptorum et benivolentiae habitae in eum per nos omnia bona sua mobilia et immobilia praesentia et futura et res quascunque nullis exclusis post mortem suam monasterio nostro — relinquere et tradere, prout ea sive eas ex nunc prout ex tunc et ex converso reliquit tradidit relinquit et tradit per praesentes, eorum sive earum usum et usufructum ad dies vitae suae sibi retinens, quem et nos eidem indulgemus et concedimus in his scriptis, salvo sibi hoc quod moderatum quid liceat pro salute animae suae testari, de scitu tamen nostro voluntate et assensu, quae ad praedictum testamentum faciendum concurrere debent omni sinistra machinatione dolo fraude ex utraque parte cessantibus atque remotis. In quorum fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum praesentes nostras litteras praepositurae nostrae sigillo, cuius ad praesens nos prior senior plebani capitulum supradictum de nostro scitu et scientia certa coutimur, corroboravimus et communivimus anno domini millesimo quingentesimo septimo feria quarta post Judica.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig; das Siegel ist abhanden gekommen.

### No. 371. 1507. 4. Mai.

*Herzog Georg verkauft 60 Rhein. Gulden an Geleite Renten Zinsen Einkommen und Nutzungen des Amtes Leipzig für 1200 Rhein. Gulden an das Kloster unter Vorbehalt des Wiederkaufs.*  
Dinstag nach Walpurgis.

*Derselbe verkauft an obigem Tage an das Kloster 50 Rhein. Gulden an Geleite Renten Zinsen Einkommen und Nutzungen des Amtes Leipzig für 1000 Rhein. Gulden unter Vorbehalt des Wiederkaufs.*

Registrum copiarum fol. 339 u. 339<sup>b</sup> im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.